

phiam novissime animum adjecerint, præclaram Thomæ Aquinatis doctrinam restituere, atque in pristinum decus vindicare studuerunt et student. Pari voluntate plures ex ordine Vestro, Venerabiles Fratres, eandem alacriter viam esse ingressos, magna cum animi Nostri lætitia cognovimus. Quos cum laudamus vehementer, tum hortamur, ut in suscepto consilio permaneant: reliquos vero omnes ex Vobis singulatim monemus, nihil Nobis esse antiquius et optabilius, quam ut sapientiæ rivos purissimos, ex Angelico Doctore jugi et prædivite vena dimanantes, studiosæ juventuti large copioseque universi præbeatis.

Quæ autem faciunt, ut magno id studio velimus, plura sunt. — Principio quidem, cum in hac tempestate nostra, machinationibus et astu fallacis cujusdam sapientiæ, christiana fides oppugnari soleat, cuncti adolescentes, sed ii nominatim qui in Ecclesiæ spem succrescunt, pollenti ac robusto doctrinæ pabulo ob eam causam enutriendi sunt, ut viribus validi, et copioso armorum apparatu instructi, mature assuescant causam religionis fortiter et sapienter agere, *parati semper*, secundum Apostolica monita, *ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe* (I Petr., III, 15), et *exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere* (Tit., I, 9). — Deinde plurimi ex iis hominibus qui, abalienato a fide animo, instituta catholica oderunt, solam sibi esse magistram ac ducem rationem profitentur. Ad hos autem sanandos, et in gratiam cum fide catholica restituendos, præter supernaturale Dei auxilium, nihil esse opportunius arbitramur, quam solidam Patrum et Scholasticorum doctrinam, qui firmissima fidei fundamenta, divinam illius originem, certam veritatem, argumenta quibus suadet, beneficia in humanum genus collata, perfectamque cum ratione concordiam tanta evidentia et vi monstrant, quanta flectendis mentibus vel maxime invitis et repugnantibus abunde sufficiat.

Domestica vero, atque civilis ipsa societas, quæ ob perversarum opinionum pestem quanto in discrimine versetur, universi perspicimus, profecto pacatior multo et securior

consisteret, si in Academiis et Scholis sanior traderetur, et magisterio Ecclesiæ conformior doctrina, qualem Thomæ Aquinatis volumina complectuntur. Quæ enim de germana ratione libertatis, hoc tempore in licentiam abeuntis, de divina cujuslibet auctoritatis origine, de legibus earumque vi, de paterno et æquo summorum Principum imperio, de obtemperazione sublimioribus potestatibus, de mutua inter omnes caritate; quæ scilicet de his rebus et aliis generis ejusdem a Thoma disputantur, maximum atque invictum robur habent ad evertenda ea juris novi principia, quæ pacatorum ordini et publicæ saluti periculosa esse dignoscuntur. — Demum cunctæ humanæ disciplinæ spem incrementi præcipere, plurimumque sibi debent præsidium polliceri ab hac, quæ Nobis est proposita, disciplinarum philosophicarum instauratione. Etenim a philosophia tamquam a moderatrice sapientia, sanam rationem rectumque modum bonæ artes mutuari, ab eaque, tamquam vitæ communi fonte, spiritum haurire consueverunt. Facto et constanti experientia comprobatur, artes liberales tunc maxime floruisse, cum incolumis honor et sapiens judicium philosophiæ stetit; neglectas vero et prope oblitteratas jacuisse, inclinata atque erroribus vel ineptiis implicita philosophia. — Quapropter etiam physiciæ disciplinæ, quæ nunc tanto sunt in pretio, et tot præclare inventis, singularem ubique cient admirationem sui, ex restituta veterum philosophia non modo nihil detrimenti, sed plurimum præsidii sunt habituræ. Illarum enim fructuosæ exercitationi et incremento non sola satis est consideratio factorum, contemplatioque naturæ; sed, cum facta constiterint, altius assurgendum est, et danda solerter opera naturis rerum corporearum agnoscendis, investigandisque legibus, quibus parent, et principiis, unde ordo illarum, et unitas in varietate, et mutua affinitas in diversitate proficiunt. Quibus investigationibus mirum quantam philosophia scholastica vim et lucem, et opem, est allatura, si sapienti ratione tradatur.

Qua in re et illud monere juvat, nonnisi per summam injuriam eidem philosophiæ vitio verti, quod naturalium

scientiarum profectui et incremento adversetur. Cum enim Scholastici, sanctorum Patrum sententiam secuti, in Anthropologia passim tradiderint, humanam intelligentiam nonnisi ex rebus sensibilibus ad noscendas res corpore materiaque carentes evehi, sponte sua intellexerunt, nihil esse philosopho utilius, quam naturæ arcana diligenter investigare, et in rerum physicarum studio diu multumque versari. Quod et facto suo confirmarunt: nam S. Thomas, B. Albertus Magnus, aliique Scholasticorum principes, non ita se contemplationi philosophiæ dederunt, ut non etiam multum operæ in naturalium rerum cognitione collocarint: imo non pauca sunt in hoc genere dicta eorum et scita, quæ recentes magistri probent, et cum veritate congruere fateantur. Præterea hac ipsa ætate, plures iique insignes scientiarum physicarum doctores palam aperteque testantur, inter certas ratasque recentioris Physicæ conclusiones, et philosophica Scholæ principia nullam veri nominis pugnam existere.

Nos igitur, dum edicimus libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quicquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum; Vos omnes, Venerabiles Fratres, quam enixe hortamur, ut ad catholicæ Fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream sancti Thomæ sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis. Sapientiam sancti Thomæ dicimus: si quid enim est a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quæsitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris ævi doctrinis minus cohærens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est ætati nostræ ad imitandum proponi. — Cæterum, doctrinam Thomæ Aquinatis studeant magistri, a Vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare; ejusque præ cæteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. Eamdem Academiæ a Vobis institutæ aut instituendæ illustrent ac tueantur, et ad grassantium errorum refutationem adhibeant. — Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomæ ex ipsis ejus fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso

fonte deductos adhuc integros et illimes decurrere certa concors doctorum hominum sententia est: sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate.

Probe autem novimus conatus Nostros irritos futuros, nisi communia cœpta, Venerabiles Fratres, Ille secundet, qui *Deus scientiarum* in divinis eloquiis (I Reg., II, 3), appellatur; quibus etiam monemur, *omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse, descendens a Patre luminum* (Jac., I, 17). Et rursus: *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluentem, et non improperat; et dabitur ei* (Ibid., 5). — Igitur hac quoque in re exempla sequamur Doctoris Angelici, qui nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi propitiato precibus Deo; quique candide confessus est, quicquid sciret, non tam se studio aut labore suo sibi peperisse, quam divinitus accepisse: ideoque humili et concordati obsecratione Deum simul omnes exoremus, ut in Ecclesiæ filios spiritum scientiæ et intellectus emittat, et aperiat eis sensum ad intelligendam sapientiam. Atque ad uberiores percipiendos divinæ bonitatis fructus, etiam B. Virginis Mariæ, quæ sedes sapientiæ appellatur, efficacissimum patrocinium apud Deum interponite; simulque deprecatores adhibete purissimum Virginis Sponsum B. Josephum, et Petrum ac Paulum Apostolos maximos, qui orbem terrarum, impura errorum lue corruptum, veritate renovarunt, et cœlestis sapientiæ lumine compleverunt.

Denique divini auxilii spe freti, et pastoralis vestro studio confisi, Apostolicam Benedictionem, cœlestium munerum auspiciem et singularis Nostræ benevolentiam testem, Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, universoque Clero et Populo singulis commisso peramanter in Domino impertimur.

Datum Romæ apud S. Petrum, die 4 augusti anni 1879
Pontificatus Nostri anno secundo.

LEO PP. XIII.

Huic Encyclicæ adhæserunt catholici implicite omnes, multi explicite.

Novum *Summarium* de Patronatu S. Thomæ litteras sequentes includit vel indicat :

- 11 litt. Cardinalium cum multis subscriptionibus. V. g. 58 subscriptiones inveniuntur in unâ epistolarum.
- 45 litt. Patriarcharum et Archiepiscoporum.
- 65 litt. Episcoporum.
- 9 litt. Abbatum regularium, Superiorum generalium.
- 14 litt. Capitulum, Collegiorum, Associationum.
- 11 litt. Universitatum.
- 30 litt. Seminariorum.

186 litt. Multæ omittuntur in *Summario*.

In adhæsione episcopi Mazarensis in Sicilia legimus :

« Votre Sainteté pouvait-elle nous indiquer un meilleur *Maître* de philosophie chrétienne que S. Thomas, qui fut si hautement loué par 25 papes, employé pour la défense de la foi par 6 conciles œcuméniques, suivi par plus de 15 ordres réguliers, redouté par les hérétiques qui le tinrent pour l'unique soutien de l'Église catholique? Qui eût mieux que lui christianisé la philosophie, et dans les 891 leçons des commentaires sur les livres d'Aristote, et dans les 2931 articles des 578 questions sur le Maître des Sentences, et dans les 463 chapitres des 4 livres de la Somme contre les Gentils, et surtout dans la merveilleuse Somme que le concile de Trente plaça sur l'autel à côté de la Sainte Écriture, et dans les 2657 articles des 512 questions qui la composent, et que le pape Jean XXII admirait comme autant de miracles? »

(V. *Analecta juris Pont.*, 19^e sér. 1880, p. 418, 419.)

SS. D. N. LEONIS PP. XIII

LITTERÆ

Ad Eminentissimum ac Reverendissimum Dominum Antoninum Episcopum Prænestinum, S. R. E. Card. de Luca, Sacro Concilio Studiis Regundis Præfectum.

Venerabili Fratri Nostro ANTONINO Episcopo Prænestino, S. R. E. Cardinali DE LUCA, Sacro Concilio Studiis Regundis Præfecto, LEO PP. XIII,

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictio-
nem.

Jampridem considerando experiendoque intelleximus, terrimum quod adversus Ecclesiam ipsamque humanam societatem modo geritur bellum, citius feliciusque, opitulante Deo, componi non posse, quam rectis sciendi agendique principiis per philosophicas disciplinas ubilibet restitutis; ideoque ad summam totius causæ pertinere sanam solidamque ubique locorum refflorescere philosophiam. Litteras ideirco Encyclicas ad universos catholici orbis Antistites nuper dedimus, quibus pluribus ostendimus, hujus generis utilitatem non esse alibi quærendam, quam in philosophia christiana a priscis Ecclesiæ Patribus procreata et educta, quæ fidei catholice non modo maxime convenit, sed etiam defensionis et luminis utilia adjumenta præbet. Eam ipsam, decursu ætatum magnis fecundam fructibus, a S. Thoma Aquinate, summo Scholasticorum Magistro, quasi hæreditario jure acceptam commemoravimus; in eaque ordinanda, illustranda et augenda mentis illius vim virtutemque sic enituisse, ut cognominis sui mensuram Angelicus Doctor cumulate implere videatur. Majorem autem in modum Episcopos hortati sumus ut, collatis Nobiscum viribus, excitare aggrediantur motam gradu et prope collapsam philosophiam illam veterem, Scholisque catholicis redonatam, in sede honoris pristini collocare.